

ius testimonii vim intelligendam, tria expendenda sunt. Primum, ad quos referantur illa verba, seu in quos cadat illa comminatio. Secundum, quæ sit pœna, quam Deus ibi comminatur. Tertium, quod sit illud pactum, quæve illius transgressio, propter quam illa pœna injungitur. Circa primum multi exponunt, verba illa intelligenda esse de adultis, et ratione utentibus, qui vel propriam circumcisionem contemnerent, ut Cajetanus, in Gen., exponit, et indicat Justinus, et nonnulli ex aliis Patribus; vel qui filiorum suorum circumcisionem negligerent, ut exponit Diodorus ad Lypoman. in catena super Gen. Quæ expositio probabilior apparebit, si verba illa, non passive, sed active legantur, hoc modo: Masculus, qui non circumciderit carnem præputii sui, ut Ambrosius et nonnulli alii legunt. Græca enim et Hebraica lectio hanc versionem admittit, et Chaldaica paraphrasis eodem modo habet; juxta hanc autem lectionem, de solis adultis potest proprie esse sermo, quia parvuli non poterant se circumcidere, nec physice, nec moraliter; adulti autem, quia voluntarie poterant vel negligere, vel admittere et procurare circumcisionem, ideo dicuntur habuisse præceptum, ut se circumciderent, licet non essent propriis manibus circumcisionem effecturi; parentes etiam propriissime dicuntur fuisse obligati ad suos filios circumcidendos. In utrosque ergo, et in eos tantum optime cadit illa comminatio. Et juxta hunc sensum facile intelligitur, propter quam causam comminaretur Deus illam pœnam, scilicet propter culpam, quam hi committebant, negligendo circumcisionem, vel propriam, vel filiorum. Quod videtur consentaneum illis verbis: *Quia pactum meum irritum fecit*. Illud enim pactum (nisi apertam æquivocationem in brevi textu admittamus) non est aliud, nisi illud, quod sæpius in præcedentibus verbis repetitur: *Statuam pactum meum inter me et te, et semen tuum. Tu ergo custodias pactum meum et semen tuum post te; hoc est pactum meum, quod observabitis, inter me et vos, et semen tuum post te. Circumcidetur ex vobis omne masculinum*, etc. Illud ergo pactum, nullum aliud erat, quam lex circumcisionis; constat enim sæpe in Scriptura legem divinam nomine pacti et fœderis significari, quia habet adjunctam promissionem et comminationem; imponebatur ergo illa pœna propter transgressionem hujus legis, quæ non poterant parvuli, sed soli adulti committere. Et juxta hæc non est

difficile exponere, quæ fuerit illa pœna; erat enim vel mors corporalis, aut quædam excommunicatio, seu separatio a populo Dei, utrumque enim significare solent illa verba: *Delebitur anima ejus de populo suo*, juxta phrasim Hebraicam, non enim significare solent pœnam alterius vitæ, sed præsentis, et interdum pœnam mortis, ut Exod. 12: *Quicumque comederit fermentatum, peribit anima illius de Israel*, id est occidetur; similiter, cap. 30 et 31, Levit. 17, 18 et 19; et ita intelligunt præsentem locum Gen. Lyr. et Cajetanus ibi; dicunt enim patrem fuisse morte plectendum, si filium nollet circumcidere; et ipsum etiam filium, si post usum rationis voluntarie maneret incircumcisus. Interdum vero significatur illis verbis excommunicatio et separatio a populo Dei, ut Num. 17: *Qui tetigerit humanæ animæ morticinium, et aspersus hac commistione non fuerit, peribit ex Israel*; et infra: *Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio Ecclesiæ*; quanquam hæc verba ab aliis intelligantur de morte corporis. In dicto ergo loco Gen., *Delebitur de populo suo*, id est, non memorabitur, nec erit membrum populi Dei, neque erit particeps sacramentorum, beneficiorum et promissionum illius populi. Juxta quam expositionem hic locus nihil omnino confert ad sententiam Augustini fundandam; quia ex illis verbis sic expositis non potest colligi, circumcisionem fuisse medium necessarium parvulis ad salutem, quia non sequitur parvulos incircumcisos fuisse damnatos, sed solum sequitur eam circumcisionem fuisse in præcepto, cujus transgressores puniri præcipiebantur. At vero Augustinus longe aliter intelligit tria illa, quæ explicanda proposuimus. Primo enim existimat, comminationem illam non tantum ad adultos, sed etiam ad parvulos dirigi. Cui in primis favet editio 70 Interpretum, qui addunt particulam illam Octavo die, hunc in modum: *Masculus, cujus præputii caro octavo die circumcisa non fuerit, etc.*, quæ lectio retenta est in nova editione septuaginta interpretum, jussu Sixti V facta, et eadem usus est Augustinus, in citatis locis, et Ambrosius, epist. 77; et Origen., lib. 2, in ad Rom., circa fin., c. 3. Quare non videtur facile rejicienda, eo quod in Hebræa et vulgata Latina non habeatur, quia illis non repugnat, sed potius ea explicat. Unde potest sumi indicium, antiquam Judæorum Synagogam ita hunc locum intellexisse, et 70 interpretes, ad explicandum

amplius sensum suo tempore et in sua Ecclesia receptum, illam particulam addidisse. Quæ posita, non potest illa comminatio ad solos adultos referri, cum etiam masculus post octavum diem incircumcisus periturus dicatur. Præterea, seclusa etiam illa particula, verba Scripturæ indefinita sunt et æquivalent universali locutioni; non ergo possunt libere ad solos adultos coartari, alioqui etiam illa verba Christi: *Nisi quis renatus fuerit, etc.*, possent simili modo limitari, quia est idem genus indefinitæ seu universalis locutionis, et in utraque passive dicitur: *Cujus caro circumcisa non fuerit*; et: *Nisi quis renatus fuerit*; ergo sicut hæc non limitantur ad eos, qui active (ut sic dicam) transgrediuntur præceptum baptismi, sed simpliciter intelliguntur de omnibus, qui baptismum non recipiunt nec re, nec voto, cujuscumque ætatis sint, ita nec alia verba limitanda sunt, sed eodem modo intelligenda. Præterea, huic expositioni favet contextus Genes., nam proxime dictum erat: *Infans octo dierum circumcidetur in vobis, eritque pactum meum in carne vestra, in fœdus sempiternum*; statim vero subditur: *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, etc.*; ergo nisi sit magna æquivocatio in verbis, idem masculus periturus dicitur, si non circumcidatur, qui præceptus erat circumcidi; hic autem erat infans octo dierum; ergo de illo et non tantum de adulto, sermo est in prædictis verbis. Ex quo ulterius intelligit Augustinus per illa verba: *Delebitur anima ejus de populo suo*, significari, non tantum pœnam aliquam hujus vitæ, sed separationem a Deo, et a cœtu sanctorum, per carentiam divinæ gratiæ et æternæ beatitudinis; quia parvulus, qui post octavum diem sine circumcisione moreretur, hanc pœnam incurreret, etiam si in hac vita nulla alia afficeretur. Neque est hic sensus ab illo genere locutionis alienus; nam in veteri testamento, cum justi moriuntur, dicuntur apponi ad populum suum, Gen. 25, 35 et 49, id est, ad cœtum sanctorum; ergo recte dicitur periturus a populo suo, qui non erat ad sanctorum cœtum aggregandus. Confirmatur, quia ut notat Burgens., Genes. 17, et Glos. ord., nunquam Hebræi intellexerunt, ibi esse impositam pœnam mortis, aut parvulis incircumcisis, aut adultis transgressoribus illius præcepti; unde nonquam illud delictum tali pœna punitum fuit in populo Israel, ut iidem referunt; non ergo recte intelliguntur illa verba de pœna mortis; neque etiam de legali

separatione, seu excommunicatione, nam illud præceptum datum fuit multo ante legem scriptam, quæ introduxit cæremonias, irregularitates et legales separationes, quæque per terrores, et minas pœnarum cœpit homines inducere ad sui observationem; igitur nec pœna mortis, nec separationis legalis apte quadrat huic præcepto. Ac denique, licet admittamus, hominem incircumcisum, etiam in hac vita separandum fuisse ab illo populo, et abscindendum tanquam membrum carens propria nota et signo illius populi, tamen hoc nihil obstat, quominus etiam pœna alterius vitæ in illis verbis indicetur, et per hanc separationem repræsentetur; sicut etiam nunc homo non baptizatus et ab Ecclesia est separatus in hac vita, et præterea separabitur a consortio justorum in futura. Tandem colligit Augustinus causam hujus pœnæ propriam, et adequatam non fuisse actuale peccatum in transgressione præcepti circumcisionis commissum, sed peccatum originale ex Adami transgressione contractum; parvulus enim non habet aliud peccatum, et ideo verba illa: *Qui pactum meum irritum fecit*, non censent Aug., Isid., et Bed., esse intelligenda de pacto circumcisionis; quia non potuit parvulus octo dierum præceptum illud transgredi, sed de pacto inito cum Adam, quod parvulus in ipso irritum fecit, sicut in Adam peccavit. Quæ expositio, quoad hanc ultimam partem duriuscula videri potest, propter rationem supra factam, quod videlicet in toto illo capite per pactum intelligitur circumcisio, et ideo retinendo eundem sensum et amplius illum explicando, dici posset immediate et in sensu maxime litterali sermonem esse de pacto circumcisionis; hoc tamen dici irritum fieri a parvulo incircumciso, non active per transgressionem præcepti culpabilem, sed passive, quia in eo non est observatum seu executioni mandatum pactum divinum, quod ea ratione irritum in eo factum est. Fortasse vero sub hoc sensu voluit etiam Spiritus Sanctus indicare culpam existentem in parvulo, ex transgressione prioris pacti, quam humana natura in Adamo commisit, ut Augustinus dixit. Et ita in illis verbis immediate significatur ratio incurrendi illam pœnam, quæ est carentia remedii, per quod tollenda esset culpa, quæ est causa illius pœnæ; quæ etiam culpa mystice, seu in sensu magis recondito indicatur; et ita coincidit hæc expositio cum intentione Augustini, eamque significavit Eucher., lib. 2, in Genes., cap. 24.

Atque ex tota hac expositione recte concluditur, circumcisionem fuisse institutam in remedium necessarium parvulis, ut liberarentur ab originali peccato, quandoquidem ex carentia illius sequebatur damnatio infantis; sicut ex illis verbis: *Nisi quis renatus fuerit*, colligimus, baptismum esse medium necessarium ad tollendum originale peccatum, ut inferius suo loco dicemus. Unde in hoc proprie videtur circumcisio fuisse figura baptismi, sicut Paulus eam vocat ad Coloss. 2, et sæpe alias.

13. *Baptismus cur spiritualis, et circumcisio cur carnalis.* — Sexto, possumus asserere conjecturas, seu congruentias. Prima et præcipua sit, quia licet verum sit, quod prima sententia asseverat, circumcisionem institutam esse ad consignandum Dei populum, et illum a cæteris distinguendum, tamen cum hoc fine non repugnat, quod simul etiam sit instituta in remedium originalis peccati, nec priores Patres, qui priorem causam assignant, licet posteriorem taceant, illam excludunt; nec hæ sunt ex se repugnant; quin potius optime inter se conveniunt, ut qui consecratur Deo, et novum pactum et fœdus cum eo init, servandi legem ejus et colendi eum, cuique Deus promittit suam peculiarem providentiam, ac paternam benedictionem, jam non maneat inimicus Dei, sed sanctus et justus; sicut nunc in baptismo utrumque simul fit, nam per illum consignantur fideles characteri Christi, et fiunt propria membra Ecclesie, et mundantur etiam ab originali peccato. Ex qua analogia etiam confirmatur hæc sententia, quia, ut diximus, circumcisio fuit quaedam figura baptismi; propter quod baptismus dicitur spiritualis circumcisio, quia consignat homines, non in corpore, sed in anima, per characterem spirituales, et circumcidit non corpore, sed corde; circumcisio autem appellatur carnalis, non quia nullum spirituale bonum in ea daretur, sed quia carnali, ac visibili characteri consignabat homines. Confirmatur hæc conjectura, quia nisi in illo sacramento tollendum esset originale peccatum, nulla esset sufficiens causa, ob quam infantibus dari præciperetur; nam ad alium finem sufficiebat dari in adulta ætate, et videri posset convenientior, tum ad meritum per illum actum obedientie et doloris; tum etiam ad intelligendam significationem illius mysterii; sicut nunc etiam baptismus non daretur parvulis, nisi esset remedium originalis peccati. Tandem hæc sacramentalis

significatio optime quadrat cum ritu circumcisionis; nam quia peccatum originale per seminalem generationem communicatur et vires suas in concupiscentia carnis potissimum exserit; cui malo sola divina gratia potens est subvenire; ideo per circumcisionem carnis apte significatur effectus, qui fit in anima, cum ab illa tollitur originale peccatum.

14. *Sententia auctoris et opinionum concordia.* — *In circumcisio non plus dabatur, quam in remedio legis naturæ.* — Utraque istarum sententiarum tanto auctoritatis pondere et tam probabilibus nititur fundamentis, ut nostri muneris esse videatur, neutram, si fieri potest, rejicere, sed utrique aliquid concedere, easque in concordiam redigere. Unde dicimus primo, primariam rationem instituendi circumcisionem non fuisse remissionem originalis peccati, neque ad hoc habuisse majorem aliquam vim, quam habuerit sacramentum legis naturæ. Hanc conclusionem probant omnia, quæ pro prima opinione adducta sunt. Neque negari potest, quin primarius finis circumcisionis fuerit congregatio populi Dei, et segregatio ejus a cæteris populis, per specialem magisque expressam professionem fidei veri Dei, et Christi venturi, quæ fides eo tempore valde imperfecta jam erat, ut notarunt Hugo Victor., lib. 4, de Sacram., par. 44, cap. 6; et Alex. Alens., 4 par., quæst. 7, memb. 2; et D. Thomas hic, et eleganter in 1. 2, quæst. 102, art. 5, ad 1, ubi ait, litteralem principalemque rationem instituendi circumcisionem fuisse ad protestationem fidei unius Dei; figuralem vero ad significandam ablationem corruptionis per Christum faciendam. Rursus, quod circumcisio nihil habuerit speciale ad delendum originale peccatum, præter id, quod commune erat in lege naturæ, inter alia, quæ adducta sunt pro prima sententia, probat optime illa conjectura, quia si aliquid amplius daretur parvulis in lege veteri, quam in lege naturæ, non debuissent ab illo beneficio foeminae excludi; cur enim, cum divina gratia et præsertim ea, quæ est in remedium peccati, de se æque omnibus communicetur? Illud etiam signum non est contemnendum, quod tanto tempore sit circumcisio in deserto prætermissa.

15. *In circumcisio originale parvulis remittebatur.* — *Circumcisio aliquanto post Christi mortem quomodo utilis.* — *Objectio.* — *Responsio.* — Secundo, dicendum est, cir-

cumcisionem fuisse remedium, in quo peccatum originale parvulis remittebatur, quod quidem etiam ex divina institutione habuit, secundo tamen et quasi consequenter. Prior pars sufficienter probatur ex his, quæ adducta sunt in posteriori sententia. Hæc videtur non posse nunc negari sine aliqua temeritate, propter communem consensum tantorum Patrum et scholasticorum omnium, et maxime Innocent. IV. Modus autem hujus institutionis et tota conclusio ita potest a nobis intelligi et exponi: quia, ut vidimus, ante institutam circumcisionem in lege naturæ erat lex, et promissio Dei de remittendo parvulis originali peccato per quodcumque signum externum protestativum fidei a parentibus applicatum; circumcisio autem ex vi suæ institutionis habuit, ut esset quoddam signum sacrum fidei protestativum, quo parvuli specialiter dedicabantur Deo; ergo ex vi hujus institutionis, quamvis nihil aliud addatur, habuit circumcisio, ut posset esse remedium sufficiens, ut tolleretur originale peccatum, saltem si prius non esset ablatum. Quod potest exemplo declarari: nam si esset a Deo lata lex, ut quicumque sibi offerret sacrificium, peccatorum remissionem vel alium similem effectum consequeretur, et postea Deus aliquam actionem in sacrificium institueret, quamvis ex vi hujus posterioris institutionis non haberet tale sacrificium aliquem effectum, nihilominus ex vi prioris institutionis generalis haberet effectum cuicumque vero sacrificio promissum. Ita ergo in presenti intelligi potest: nam prius erat universalis lex, ut per quamcumque cæremoniam externam posset parvulis subveniri; ergo hoc ipso, quod fuit cæremonia sacra, non tantum pro adultis, sed pro parvulis instituta ad sanctificandos illos aliquo modo, seu cultui divino dicandos; hoc (inquam) ipso, habuit ex vi prioris generalis legis, ut posset esse remedium sufficiens adversus originale peccatum, etiam si nihil aliud in ejus institutione intelligamus. Quod autem hoc modo et non alio excellentiori fuerit elevata circumcisio, ut in ea daretur hic effectus, colligi satis videtur ex auctoritate omnium Sanctorum, quos in priori sententia adduxi; imo etiam ex Pauli testimonio, qui nihil tribuit circumcisioni, quatenus talis cæremonia peculiariter instituta fuit, quod ad internam justitiam et remissionem peccati pertineat. Et eodem sensu dicunt Patres, nullam attulisse spiritualem utilitatem, quam non habuerint alii sancti in

lege naturæ. Ex quibus probabile sumitur argumentum ad hoc confirmandum, non quia non potuerit Deus instituere in lege veteri aliquod remedium, quod majorem gratiam conferret ex divina promissione, quam in lege naturæ, vel perfectiori modo; sed quod nulla sit ratio ad id asserendum, nec sit consentaneum statui illius legis. In hoc enim habebat eandem imperfectionem, quam lex naturæ; quia non habebat exhibita et præsentia Christi merita, sed solum credebatur et sperabatur futura; et ideo sacramenta ejus de se tam egena erant et infirma, sicut in lege naturæ; ergo ex conditione illius legis et status non est, cur in aliquo sacramento ejus uberius gratia, vel perfectiori modo collata sit; ergo nec in circumcisio fuit aliter remissum peccatum, quam in sacramento legis naturæ, nec per alium effectum, nec per aliud causalitatis genus, et consequenter nec fuit necessaria quoad hoc illa institutio, præter eam, qua circumcisio sub ratione cæremonie sacre protestativæ fidei et parvulis applicandæ constituta est. Præterea potest hoc a signo declarari ex probabili opinione Theologorum asserentium, post Christi mortem, quamdiu legalia fuerunt mortua et non mortifera, circumcisionem fuisse utilem parvulis ad remedium originalis peccati, non ut cæremonia legalis, sed ut remedium legis naturæ; quia nimirum retinuit rationem cæremonie sacre, per quam poterat fides parentum filiis applicari. Dices: ergo eodem modo posset dici de baptismo, non esse per se primo institutum in remedium originalis peccati, sed ad protestandam fidem, seu ad consecrandos homines cultui divino; et consequenter habuisse, ut in illo tollatur originale peccatum. Respondetur negando sequelam, tum quia hoc sacramentum habet effectus gratiæ longe diversos et perfectiores a circumcisio et sacramento legis naturæ, et ideo oportet, ut illos habeat ex vi suæ institutionis. Item habet illos effectus perfectiori modo, ut infra dicemus. Item ex verbis promissionis et institutionis ejus constat, per se primo esse institutum ad regenerandos homines in Christo, juxta illud: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*. Regeneratio autem in Christo non fit primario et per se per externam aliquam sanctificationem, sed per spiritualem et internam. Denique status legis gratiæ propter Christi merita præsentia est longe perfectior, et ideo consentaneum illi fuit, ut nova gratiæ promissio, novusque modus regenerationis in eo fieret.

16. *Dubium.* — *Cum periculo mortis non adhibebatur circumcisio, sed aliud remedium legis naturæ etiam post octavum diem.* — Rursus vero dicit aliquis, quamvis prædicto modo satis explicatum sit, quomodo circumcisio fuerit sufficiens remedium peccati originalis ex vi institutionis prædicto modo explicatæ, non tamen id satis esse, ut fuerit remedium necessarium parvulis ad salutem, quod tamen Augustinus præcipue contendit, et ex loco Genesis, ut a nobis explicatus est, in ejus doctrina, necessario consequitur, ut ex dictis patet. Antecedens declaratur: nam si circumcisio non habuit, quod in ea deleteretur peccatum originale, nisi ex generali ratione cæremonie sacræ, seu protestationis fidei parvulis applicatæ, sequitur, quod si ante circumcisionem parentes alio modo offerrent suos parvulos Deo per quodcumque aliud signum, parvuli consequerentur remissionem originalis peccati; ergo ad hunc effectum non esset illis necessaria circumcisio; ergo, licet non circumciderentur, non propterea damnarentur. Antecedens patet, quia per hoc solum quod circumcisio instituta est, ut esset cæremonia sacra et protestatio fidei, etc., non est ablata potestas faciendi alias cæremonias, seu protestandi fidem aliis signis, sicut antea in lege naturæ fieri poterat, et sicut tunc in eadem lege scripta circa fœminas fiebat. Unde confirmatur et explicatur difficultas optimo exemplo: nam ex præcepto legis veteris fœminæ recens natæ offerendæ erant Deo in templo post octogesimum diem, Levit. 12. Et hæc est prima cæremonia sacra, quæ ex necessitate legis scriptæ exercenda tunc erat circa fœminas. Ex qua necessario sequitur, quod, si ante illum diem, nulla alia via, neque alia fidei protestatione, esset illis remissum originale peccatum, in illa oblatione facta in templo sine dubio remitteretur, non propter specialem institutionem, vel promissionem, sed ex generali ratione sacramenti legis naturæ, ut de circumcisione explicatum est. Quo tamen non obstante, necessarium non erat expectare octogesimum diem, ut fœminæ justificarentur, sed quocumque signo protestativo fidei subveniri illis poterat, sicut in lege naturæ; ergo idem dicendum erit de circumcisione, si non habuit specialem institutionem. Ad quam difficultatem posset aliquis totum hoc concedere, quia non videtur esse magnum inconveniens, et quia hoc modo melius salvantur omnia dicta antiquorum Patrum, quæ in priori sententia attulimus. Juxta

quam responsionem consequenter dicendum erit, circumcisionem appellari communiter remedium originalis peccati, quia illa erat quæ regulariter loquendo primo applicabatur, non quia esset simpliciter necessaria. Quod potest confirmari, quia certum est, interdum potuisse remitti originale peccatum infanti Hebræo absque circumcisione per medium legis naturæ, ut si ante octavum diem esset in evidenti mortis periculo; non enim licebat prævenire circumcisionem, nam ex præcepto divino definitum erat tempus octavæ diei, non sine magna significatione et mysterio. Ac præterea quia si infans ante illum diem existeret in periculo mortis, tunc eum circumcidere, esset illum interficere. Quare etiam si in die octavo, vel post illum non posset dari circumcisio, sine gravi incommodo et periculo mortis, nulla ratione erat applicanda; quia non est verisimile voluisse Deum, ut parentes suos filios interficerent, quod etiam aperte colligitur ex Josue 5; non enim propter aliam causam videtur in transitu per desertum omisa vel dilata circumcisio, nisi quia cum quotidie iter agerent, non poterant sine gravi incommodo circumcidi, et ideo ibidem dicitur, postquam tempore Josue omnes circumcisi sunt, mansisse in eodem castrorum loco, donec sanarentur. Igitur in his et similibus casibus poterant Judæi salvari, vel remissionem originalis peccati consequi per aliud remedium; quia non est verisimile, relictos esse a Deo sine remedio et factos esse deterioris conditionis, quam alios infantes in lege naturæ constitutos, et ita aperte sentit D. Thomas infra quæst. 70, art. 3 et 4, ad 3; ergo non fuit circumcisio instituta, ut medium necessarium ad remittendum originale peccatum; fuit enim valde acerbum et difficile remedium; et ideo non oportuit, ut esset simpliciter necessarium, sicut nunc est baptismus; ergo quacumque ratione applicaretur aliud remedium legis naturæ ante circumcisionem, illud sufficeret. Et hæc sententia videtur claritatem quamdam et probabilitatem præ se ferre; sed non est juxta mentem August. et Innocent. IV, nec satis explicat, cur circumcisioni tribuatur effectus remittendi originale peccatum viris, magis quam oblationi in templo attribuat remissio originalis peccati in fœminis. Denique si vera est expositio verborum Genes. supra data, quam etiam approbat Innocent. IV, in dicto c. Majores, non potest cum illa hæc sententia consistere, quia illa comminatio de parvulis

intellecta aperte infert necessitatem aliquam hujus remedii.

17. *Quomodo intelligenda conclusio.* — *Circumcisio necessaria necessitate præcepti, respectu adultorum, et necessitate medii, respectu parvulorum.* — Propter hanc ergo difficultatem addidi in conclusione, circumcisionem fuisse remedium originalis peccati ex peculiari Dei institutione. Itaque quamvis non promiserit Deus specialem aliquam gratiam circumcisioni, neque in eum finem primario illam instituerit, quæ duo hactenus docuimus, voluit tamen ut remedium illud, quod in lege naturæ indifferens erat quoad cæremoniam et ritum externum, esset in populo Israelitico pro pueris, seu viris determinatum quoad ritum circumcisionis, ita ut ordinarie, seu quodcumque fieri posset sine gravi incommodo, protestatio fidei parentum, et applicatio ejus ad remedium parvulorum, per circumcisionem fieret, et hoc modo, ac non alio parentes filios suos Deo dicarent et offerrent. Ex quo factum est, ut si parentes vellent, alio ritu vel cæremonia uti ad offerendum filios suos Deo, seclusa speciali gratia, vel necessitate, nihil efficerent, quod ad eorum salutem utile esse posset, quia jam illa non censeretur cæremonia sacra, sed supersticiosa, quod videtur significatum Levit. 12, ubi dicitur: *Mulier si suscepto semine peperit masculum, immunda erit septem diebus, et die octavo circumcidetur parvulus;* et in figuram hujus applicari potest, quod Levit. 2 dicitur: *Septem diebus erunt sub ubere matris suæ, die autem octavo et deinceps offerri poterunt Domino.* Et ita facile intelligitur, quomodo tunc fuerit circumcisio necessaria, tum necessitate præcepti respectu adultorum, tum etiam necessitate medii saltem respectu parvulorum, quando sine gravi incommodo applicari poterat. Ita enim est limitanda et exponenda Augustini sententia, cui non contradicunt antiquiores Patres, qui directe contra Judæos scribunt, qui suam spem totam in circumcisione ponebant, et ideo præcipue docuerunt circumcisionem nullam habuisse spirituales efficaciam vel utilitatem. Ad hanc autem Sanctorum mentem et intentionem satis est, quod circumcisio, ut erat peculiaris cæremonia Judaica, nullam habuit specialem vim sanctificantem, neque ad hoc fuit primario instituta, prout in prima assertione diximus, quam prædicti Patres sine dubio docent; non tamen negant secundam, neque illam explicant, quia ad eorum institutum non pertinebat. Augustinus vero locutus

est contra Pelagianos negantes originale peccatum; ideo clarius ac distinctius explicuit, quod in singulis ætatibus fuerit remedium ad hujusmodi peccatum tollendum.

18. *Circumcisio fuit sacramentum primo et per se præfigurativum gratiæ futuræ, consequenter vero demonstrativum gratiæ præsentis.* — Tertio, dicendum est, circumcisionem fuisse verum, ac proprium sacramentum veteris legis, primo et per se prognosticon seu præfigurativum gratiæ futuræ, consequenter vero demonstrativum gratiæ præsentis, quæ in eo dabatur. Hæc assertio est præcipue intenta in hac sectione, nam ad hunc locum proprie spectat. Prima pars ejus est certa de fide, scilicet, circumcisionem fuisse verum sacramentum. Nam licet non sub his verbis expressis, tamen sub æquivalentibus, et definitionem sacramenti continentibus habetur ad Rom. 4: *Et signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei,* ubi genus sacramenti illi tribuitur, scilicet, esse signum. Quod autem fuerit signum gratiæ ac justitiæ, constat ex sequenti verbo, signaculum justitiæ; non enim poterat esse sigillum justitiæ, nisi illam significaret; quanquam probabile sit, solum respectu Abrahamæ, fuisse signaculum justitiæ; quia ut Chrysost. et Theophyl. dicunt, ei data est in testimonium justitiæ et peculiaris dilectionis, qua Deo gratus erat. Quod autem fuerit signum circumcisionis spiritualis, atque adeo gratiæ dandæ per Christum, satis significavit Paul. ad Coloss. 2. Denique ex Gen. 17, aperte constat circumcisionem fuisse religiosam cæremoniam et sacram. Dicitur enim fœdus et pactum inter Deum et Abraham: *Ut sim, inquit, Deus tuus, et seminis tui post te;* et infra dicitur: *ut sit in signum fœderis inter me et vos;* et infra: *erit pactum meum in carne vestra in fœdus æternum;* ergo ex divina institutione habuit illa actio, ut per eam peculiariter dicarentur homines Deo et conjungerentur illi. Erat ergo quid sacrum et religiosum, et alioqui erat signum, ut ibidem dicitur et Paulus confirmat et explicat; nihil ergo illi deerat ad rationem proprii sacramenti; et in hoc consentiunt omnes Patres supra citati contra Gnosticos et Manichæos, qui circumcisionem detestabantur, tanquam rem indecentem et a malo principio profectam. Contra quos videri potest specialiter Ambr., epist. 77, et Orig., lib. 2, in epist. ad Roman., circa fin., cap. 2, et Augustinus, lib. contra Adim. Manich., cap. 16, et lib. 6 contra Faustum, cap. 3, ubi in hoc propositum adducit illud ad